

261

259

265

255

270

250

310

210

360

160

Ende

Anfang

246

venimus, ubi idem Apostolus utiliter dubitans cicatrices fulgidas corporis Christi tangere meruit. Procedentes autem ad locum illum hymnum gaudiosum cantavimus: Exultet coelum laudibus, resultet terra gaudiis etc., et in loco prostrati iterum plenariae remissionis indulgentias consequuti sumus (††). In hoc loco S. Apostoli Thomae singularem gratiam contemplati sumus. Omnes enim, quos legimus, circa hoc latus, in quod S. Thomas manum jubente Christo misit, aliquid egisse, singulari quadam praerogativa gratiae remunerati extiterunt. Longinus enim miles incredulus et crudelis, ac debilis visu, jussu Pilati cruci asstitit, et vibrata hasta in latus Salvatoris infixit, et cor sanctissimum Christi transfixit. Casu autem sanguine per hastam decurrente, oculi ejus tacti clare videntur, et lumen mentis et corporis accepit, ac martyrium celebre pertulit. Beatus Johannes Evangelista latus hoc videntur, et quod aqua et sanguis exivit, conspexit, et creditur, et testimonium mysteriorum maximorum perhibuit. S. Thomas Apostolus vidit, tetigit, (B) et solidissimus ac apertissimus fidei confessor effectus est, et sententiam nobis valde consolatoriam audivit: quia, inquit Dominus, vidisti me Thoma, credidisti: beati, qui non viderunt et crediderunt. Caeteri etiam Apostoli, quibus ostendit Dominus manus et latus, viderunt, et aperti sunt ex hoc oculi eorum, ut intelligerent scripturas, et gaudio replerentur ineffabili. Beatus Bernhardus orans ante Crucifixum visus est solvi a cruce ipse Crucifixus, seque super orantem reclinare, quem orans suscepit, et os suum ad latus Crucifixi applicuit, et inde melliflua doctrinarum suxit. Sanctus insuper Franciscus vulneribus Christi vehementer affectus stigmata Domini Jesu mirabiliter et sensibiliter in suo corpore portare meruit. Insuper Sancta Katharina de Senis ex hoc sanctissimo latere ebit, et devotione dulcissima inebriata fuit. Dum enim cuidam foeminae infirmae ulcus horridum pectoris et foetidissimum habenti serviret, cum qua propter intolerabilem foetorem nemo manere posset, quodam die virgo Christi, dum ulcus illud detexisset, ut ipsum lavando purgaret, mox tantus et tam horridus foetor exhalavit ex eo, ut cuncta interiora virginis moverentur ex nausea, quod virgo sancta sentiens contra carnem suam indignata nimium, juravit; dicens: vivit,

